

## QUÆSTIO SECUNDA.

*De bonis corporis.*

Inter bona corporis numerantur vita, membra, virginitas ad quam accedit conjugal castitas. Itaque injuria triplici modo alicui in bonis corporis inferri potest, scilicet 1° per homicidium, mutilationem, verbera et alia hujusmodi; 2° per stuprum; 3° per adulterium.

## ARTICULUS PRIMUS.

## DE HOMICIDIO ET MUTILATIONE.

Sub eodem titulo homicidium, mutilationem et etiam verbera concludimus, quia quod de homicidio dicitur, servata proportione, de mutilatione, verberibus et aliis hujus generis dici potest.

*Notandum est autem* duplicem moveri posse quæstionem de damno alteri in bonis corporis illato, quia duplex distinguitur hujusmodi damnum: unum enim dicitur naturale, quod est ipsamet amissio vitæ, membri alicujus, virginitatis, etc., et alterum temporale, estque suppressio honorum fortunæ quæ damnificatus, servata vita vel corporis sui integritate, comparare sperabat.

I. Prima igitur quæstio est utrum aliqua fieri debeat restitutio pro damno naturali præcise sumpto.

Apud omnes inconcussum manet damnum naturale ex justitia reparandum esse, si reparabile foret: unde quia occisor non potest hominem quem injuste occidit resuscitare, mutilator membrum quod amputavit renodare, etc., quæritur an sit obligatio illud damnum per bona alterius ordinis reparandi, v. g., per pecunias mutilato vel hæredibus occisi solutas, per aliquem honorem exhibitum, per eleemosynas aut preces pro anima defuncti oblatas, etc. Acriter circa illud punctum disputant theologi: alii negant esse obligationem illud damnum per bona alterius ordinis compensandi; alii affirmant.

Qui negant, hac potissimum ratione nituntur: nulla est, inquit, obligatio pro naturali damno restituendi, si

justitia commutativa ad restitutionem non obligat, quando res ablata reddi non potest in se aut in æquivalenti, saltem quoad aliquam partem, et si bonum naturale nec in se, nec in æquivalenti, saltem quoad aliquam partem, reddi possit: atqui hæc duo certa sunt. 1° Justitia commutativa ad restitutionem non obligat, quando res ablata reddi non potest nec in se, nec in æquivalenti, saltem quoad aliquam partem, quia ad impossibile nemo tenetur. 2° Bonum naturale reddi non potest in se nec in æquivalenti; non in se, *ut patet*; non pariter in æquivalenti, quia nulla est pecuniæ summa quæ vitæ ablatae aut membro amputato æquivalere possit, ut omnes fatentur. Ergo. Hanc sententiam docent Azor, Panormitanus, Gomez, Navarrus, Thomas Sanchez, Bannez, Vasquez, Covarruvias, apud P. Antoine, p. 2, c. 6, q. 6; Lessius, c. 9, n. 140, et alii, quos refert et sequitur card. de Lugo, d. 11, n. 5.

Contraria tamen nihilominus tenetur, ac æquitati naturali conformior esse videtur: quapropter sit

## PROPOSITIO.

*Aliqua restitutio ordinarie facienda est ad compensandum naturale damnum injuste illatum.*

*Prob.* Si nulla existeret obligatio damnum naturale, sive pecuniis sive aliis bonis diversi generis reparandi, maxime, ut patroni sententiæ oppositæ fatentur, quia illud pretio æstimari nequit: atqui hæc ratio nulla est; quamvis enim damnum istud nimium sit ut pretio æstimari queat, saltem ordinarie minui et tolerabilius per restitutionem alterius generis effici potest; sic, v. g., pauper cui brachium aliquis amputavit, semper tristis et nimis afflictus remanebit, si mutilator tantum præcise illi restituat quantum ipse non mutilatus lucratus fuisset; si vero plus illi tribuat, non plane quidem illum de amissione brachii consolabitur, sed dolorem illius valde minuet atque tolerabiliorem efficiet. Idem dicendum est de familia cujus caput injuste fuit occisum. Ergo.



Et vero, omnes theologi consentiunt stupratorem ex justitia teneri damnum illatum virgini, quam vi aut metu defloravit, reparare, illam ducendo, aut ita dotando ut æque commode nubat ac nupsisset si stuprata non fuisset: ergo stuprator saltem aliquo modo honorem virginis stupratæ pecuniis reparabit, siquidem efficiet ut pluris æstimanda sit a viris: atqui honor virginis non magis pretio æstimari potest quam dolor et tristitia hominis mutilati, aut familiæ cujus caput fuit occisum: ergo a pari, etc.

Præterea *S. Thomas* hanc tenet opinionem; sic enim se habet in 2 2, quæst. 62, art. 2, ad 1: « In quibus non » potest compensari æquivalens, sufficit quod ibi compen- » setur quod possibile est.... Ideo quando id quod est » ablatum non est restituibile per aliquid æquale, debet » fieri compensatio qualis possibilis est: puta, cum ali- » quis alicui abstulit membrum, debet ei compensare » vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata con- » ditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni » viri. » Ergo. Ita post *S. Thomam*, apud *Billuart*, *Scotus*, *Richardus*, *Paludanus*, *Sylvester*, *Cajetanus*, *Soto*, *Sera*; ita etiam *Sylvius*, *Habert*, *Coll. Andeg.*, *P. Antoine*, etc.

Diximus *ordinarie*; nam si mutilatus bonis fortunæ sit accommodatus, aut si familia occisi divitiis affluat, nulla restitutio in pecuniis videtur præcise pro naturali damno facienda; dolor quippe vel tristitia per talem pecuniæ solutionem non leniretur: hujus conditionis homines solent istiusmodi satisfactionem tanquam se indignam parvi pendere ac contemnere; neque etiam plerumque, quando agitur de fama, damnum illatum per pecuniæ summam compensari potest.

*Quæritur* utrum hæredes occisoris vel mutilatoris restituere teneantur illius defectu, pro naturali damno.

*R.* Multi dicunt eos non teneri; nam hæredes tenentur tantum solvere debita realia quibus hæreditas est gravata; minime vero de obligationibus mere personalibus tenentur: sic ad honoris reparationem, ad rem per simplex juramentum Deo obstrictam non tenentur: sed, inquirunt,

obligatio aliquid pro naturali damno restituendi est personalis: ad hæredes ergo non transit. Hæc sententia ut probabilis apud *Collet* et *Billuart* habetur.

Opposita tamen probabilior cum *Sylvio* nobis videtur: etenim hæredes, juxta omnes, tenentur ex justitia omnia solvere debita quibus gravatur hæreditas cui succedunt: sed occisoris vel mutilatoris hæreditas obligatione pro naturali damno satisfaciendi vere gravatur; hanc enim obligationem sibi imposuit occisor vel mutilator: at illam sibi imponere non potuit, quin eo ipso bona sua ad illam implendam obstringeret, sicut per votum reale ea obstrinxisset: porro hæredes tenentur vota realia implere: ergo et prædictæ obligationi satisfacere tenentur.

II. Nunc de damno temporali ex homicidio vel mutilatione proveniente nobis agendum est.

Certum est ex omni et solo homicidio voluntario et injusto oriri obligationem reparandi damnum temporale quod infertur; nam, extra contractum aut quasi-contractum, ut quis damnum aliquod reparare teneatur, requiritur et sufficit eum fuisse istius damni causam positivam, injustam et efficacem; sed in omni et solo homicidio voluntario et injusto, homicida est causa positiva, injusta et efficax damni temporalis inde sequentis: ergo. Si adesset contractus vel quasi-contractus vi cujus quis, ex justitia, mortem alterius impedire teneretur, et tamen non impediret, cum posset, ipsi tanquam *non obstanti* stricta incumberet obligatio restituendi, juxta regulas a nobis traditas.

Unde qui, servato moderamine justo, injustum occidit aggressorem, ad nullam tenetur restitutionem; judices qui reum ad supplicium secundum leges justas condemnant, familiam ejus alere non obligantur; qui involuntarie ac inculpate alium occidit, ad nihil tenetur. Omnis, e contrario, qui, sive ex propria et expressa determinatione, sive ex mandato alterius injusto, sive ex actione temeraria et mortaliter culpabili, alium occidit, omnia damna temporalia et realia reparare debet. Hinc qui in bello injusto sive per se, sive per alios occidit; qui, tempore perturbationis Gallicanæ, in fine sæculi proxime elapsi, ad sententias in-



justas positive concurrat, vel eas executioni mandavit, damna inde secuta reparandi grave onus contraxit, etiamsi ab illis homicidiis injustis abstinere non potuisset absque manifesto propriæ vitæ periculo; nam millies potius moriendum est, quam positive et directe ad mortem innocentis concurrere.

Hæc occisoris et mutilatoris obligatio ad eorum hæredes transit integra pro hæreditatis quantitate, etiamsi extremo supplicio fuerint addicti; namque hæc obligatio evidenter est realis: atqui nemo diffitetur hæredes teneri omnia solvere debita realia, quibus hæreditas gravatur; non tenentur tamen nisi ratione hæreditatis, ac proinde secundum illius quantitatem duntaxat.

Diximus etiamsi extremo supplicio fuerint addicti; nam per extremum supplicium satisfit tantum justitiæ vindicativæ et reipublicæ, non vero justitiæ commutativæ et parti læsæ, saltem quoad damna realia; semper enim certum erit illa injuste fuisse illata nec reparata.

Tota igitur difficultas quæ restat est quibus et quantum injustus homicida vel mutilator debeat restituere. Quæstioni huic per sequentes propositiones respondemus.

PROPOSITIO PRIMA.

*Qui injuste alium occidit vel mutilavit, tenetur reparare omne damnum temporale quod per se ex homicidio vel mutilatione sequitur.*

*Prob.* Qui alicujus damni fuit causa positiva, injusta et efficax, illud totum reparare tenetur: at injustus occisor vel mutilator fuit causa positiva, injusta et efficax totius damni temporalis quod per se ex homicidio vel mutilatione sequitur: ergo.

Hinc tenetur solvere expensas pro mutilati curatione necessarias, vel pro occiso ante ipsius mortem factas; item expensas pro funere, si majores faciendæ sint quam tempore mortis naturalis fieri debuissent; tenetur compensare lucrum ob læsi vel mutilati morbum et ob mortem occisi cessans.

Pariter si labore suo uxorem et liberos aleret, si ex negotiatione, vel ex aliquo officio, aut ex contractu dicto ad vitam (*rente viagère*) census annuos perciperet, hæc omnia mutilator vel occisor præstare tenetur. Horum autem æstimatio fieri debet juxta prudentis viri judicium, habita ratione circumstantiarum ætatis, roboris, artis aut professionis quam exercebat, peritiæ ejus et probabilitatis quod tale percepisset lucrum. Deduci debent expensæ quas ipse ad percipiendum hujusmodi lucrum fecisset; at probabilis æstimatio laboris vel molestiæ deduci non debet, tum quia ille labor injuste impeditur, tum quia libenter et non tanquam pœna sustinetur, tum denique quia plerumque nulla restitutio faciendæ esset; sæpe enim laboris et molestiæ æstimatio totum adæquaret lucrum. *Ita communiter theologi.* Imo, juxta multos, homicida reparare adhuc tenetur damnum spirituale quod occisus patitur, quia, v. g., nova merita acquisisset, novas pro peccatis satisfactiones obtulisset, si longius vixisset. Sic *Billuart* cum pluribus aliis. Illa autem restitutio fieri debet per preces, sacrificia, oblationes, eleemosynas et alia hujusmodi pia opera.

Diximus in propositione *damnum quod per se sequitur*: damnum enim quod ex mutilatione aut homicidio per se non sequitur, mutilatori vel occisori imputari non potest: itaque etiamsi mors vel amissio membri ex negligentia tantum vulnerati, vel ex incuria sola medici aut chirurgi sequeretur, mutilator aut occisor damnum inde proveniens reparare teneretur; quia reipsa mors aut mutilatio ex injusta mutilantis vel occisoris actione sequeretur; secus, si vulneratus aut medicus actionem qualemcumque posuissent unde mors vel mutilatio vere procedere posset. Similiter, si crimen imputaretur innocenti qui ad mortem damnaretur, non idcirco reus se manifestare teneretur ut ab illo damnum averteret; damnum enim istud quo innocens per accidens gravatur, occisori vel mutilatori strictè imputari non potest: ergo non nisi ex charitate illud ab innocente avertere tenetur. Porro charitas non exigit ut damnum proximi cum æquali aut fere æquali damno nostro avertamus. Si vero reus aliquo modo in damnatio-



nem innocentis positive influxisset, v. g., calumnia crimen illi imponendo, gladio aut vestibus ejus ad crimen patrandum utendo, tunc etiam cum periculo vitæ mortem illius impedire teneretur, quia damnatio ejus ipsi revera imputabilis esset. Ergo se manifestare teneretur, si per hanc viam liberare posset innocentem, et nisi hoc faceret, damna inde prosecutura resarciendi onus incurreret.

## PROPOSITIO SECUNDA.

*Qui alium injuste occidit, omnia reparare tenetur damna temporalia inde per se subsequentia, saltem omnibus hæredibus necessariis.*

*Prob.* Tenetur ea damna omnibus hæredibus necessariis reparare, scilicet patri, matri, uxori, liberis aliisque ascendentibus et descendantibus; nam eis omnibus restituere tenetur quorum jus strictum violavit: atqui jus strictum omnium hæredum necessariorum violavit; nam hæredes necessarii eadem censentur esse persona moralis cum ea cui succedunt. Præterea, secundum leges civiles hæredes necessarii totaliter hæreditate privari non possunt, et ideo tempore mortis naturalis jus strictum habuissent in id quod defunctus reliquisset: nunc ergo jus habent ut spe probabili bonum istud aliquando possidendi non priventur. *Ita communissime theologi.*

Diximus saltem omnibus hæredibus necessariis. Valde enim scinduntur theologi relative ad hæredes liberos; id est qui a defuncto hæreditate privari potuissent.

Multi dicunt nullam restitutionem eis debitam esse, quia jus strictum ad hæreditatem non habebant. Excipiunt damna quæ occisus ante mortem passus est; nam moriendo transmisit ad omnes hæredes lege appellatos et per testamentum non exclusos omnia jura sua proprie dicta: at jus proprie dictum habebat ad reparationem adæquatam omnium damnorum quæ ratione vulneris passus fuerat. Ergo. Idem dicendum est de legatariis titulo universalis; defunctus enim moriendo omnia jura sua eis transmisit.

Alii non pauci contendunt nullam admittendam esse distinctionem inter hæredes, et omnes, sive necessarios sive liberos, lege determinatos aut voluntate defuncti titulo universalis designatos, jus strictum habere ad compensationem damnorum per mortem injustam illatorum; jus enim habent ad ea omnia quæ hæreditatem constituunt: at compensatio damnorum ex injusta morte secutorum pertinet ad hæreditatem: defunctus quippe eo instanti quo injuste percussus est, habuit jus ad compensationem adæquatam, et jus illud moriendo ad omnes hæredes suos transtulit. Ergo. Hæc sententia videtur magis fundata et rectius e principiis deducta.

Attamen homicida non teneretur de damnis quæ nullatenus prævidere potuisset, ut jam pluries notavimus.

*Queritur* utrum homicida restituere teneatur creditoribus illius quem injuste occidit.

*Certum est* 1º quod si occisus bona ad satisfaciendum creditoribus suis sufficientia relinquat, ad nihil erga illos teneatur occisor; si illis enim non satisfiat, hoc tribui non potest occisori, sed tantum hæredibus; sufficit igitur ut his tantum restituatur quantum propter homicidium ipsis debetur.

*Certum est* 2º apud omnes quod si homicida sufficientem restitutionem hæredibus occisi tribuerit, ad nihil erga creditores teneatur; nam creditores non habent jus in debitorem, nisi in quantum valent bona ejus aut quæ habiturus fuisset: ergo si occisor ea bona restituerit hæredibus, nullum jam recursum in eum creditores habere possunt, sed ab hæredibus solutionem petere debent; si autem isti non solvant, hoc ipsis, non vero occisori, tribuendum est.

1º Juxta omnes, si occisor expresse intenderit per homicidium creditores occisi creditis suis frustrare, ea ipsis solvere tenetur; quamvis enim nemo jure naturali in actiones alterius dominari easque dirigere possit, unusquisque tamen jus habet ne alter sibi quærat damnum inferre aut a bono debito eum removere velit: ergo revera in illo



casu damnus creditorum merito imputatur occisori, qui proinde illud reparare tenetur.

2<sup>o</sup> Si homicida omnino ignoraverit occisum creditores habere, illis restituere non tenebitur; damnus enim illorum ipsi tribui non potest, siquidem non fuit prævium, sed tanquam eventus mere fortuitus haberi debet. *Est sententia communis.* Sed hæc invincibilis ignorantia raro existere potest.

3<sup>o</sup> Ex hypothesi quod creditores existere, saltem confuse, cognoverit occisor, nec formalem habuerit intentionem eis nocendi, tenebitur eis restituere? Scinduntur theologi. Non pauci contendunt quod in eo casu creditoribus occisi restituere debeat; illis enim restituere tenetur, si verum illis intulerit damnus: atqui verum illis damnus intulit; abstulit enim ab eis spem quam habebant solutionem obtinendi: porro spes ista vere erat pretio æstimabilis; ergo. Ita apud *Billuart, Scotus, Molina, Henricus a Sancto-Ignatio, Sporer*; ita etiam *Layman, Habert, P. Antoine, Bailly*, etc.

Multi alii oppositam tenent sententiam, et quidem ob duplicem præsertim rationem. 1<sup>o</sup> In foro externo nunquam datur actio creditoribus occisi contra homicidam, sed tantum illius hæredibus quibus ipse restituere tenetur: atqui perpetua fori externi praxis legitima est juris naturalis interpretatio. 2<sup>o</sup> Creditores jus habent quidem in personam debitoris ut ex illius labore vel industria solutionem obtineant, sed nullum jus habent in actiones quæ non nisi mediate et præter intentionem sunt damnificativæ: talis est autem actio occisoris respectu creditorum occisi: ergo. Aliunde, cum homicida restituere debeat hæredibus, ab eis solutionem debitorum petere possunt creditores; unde illorum quatenus creditorum status non fuit immutatus, quod præsertim verum est, in sententia modo a nobis exposita, nullam distinctionem statuente inter hæredes voluntarios et necessarios, quoad reparationem damnorum ipsis faciendam. Hæc videtur esse praxis tribunalium ratio. Illa sententia nunc communior et probabilior videtur. Ita *Lessius, Collat. Andeg., Sylvius, Billuart*, etc.

## PROPOSITIO TERTIA.

*Injustus homicida nullam debet restitutionem pauperibus et aliis liberalitates ab eo qui occisus est sperantibus.*

*Prob.* Nullam enim debet restitutionem eis quorum jus strictum non violavit: atqui jus pauperum et aliorum liberalitates sperantium non violavit; nullus quippe ex illis jus strictum ad hujus modi liberalitates habebat, ita ut injustum homicidam in justitia prosequi possit tanquam juris sui violatorem: ergo. *Est sententia communis.*

Si tamen defunctus aliquem ex adoptione, contractu vel promissione aleret, ad restitutionem erga illum injustus homicida, hanc circumstantiam non invincibiliter ignorans, teneretur, juxta multos theologos, nempe juxta eos qui æstimant injustum homicidam restituere teneri creditoribus occisi, quia prædictus homo haberi debet velut creditor respectu defuncti. Ergo.

## PROPOSITIO QUARTA.

*Injustus homicida ab omni restitutione videtur liberatus, exceptis tamen stricte debitis, si defunctus ante mortem declaravit expresse vel tacite et æquivalenter omnia se ei condonare.*

*Prob.* Ab omni enim restitutione est liberatus, si defunctus hanc condonationem valide facere potuerit: atqui defunctus hanc condonationem valide facere potuit; nam hæredes jus strictum non habent ut bona ex labore suo futuro ipsis relinquat: ergo.

Diximus *exceptis stricte debitis*; donare enim non potest quod aliis debet: unde hujusmodi condonatio imminere non potuit jus quod habent creditores solutionem petendi, nec portionem hæreditatis hæredibus necessariis reservatam et jam exstantem. *Card. de Lugo* distinguit inter casum condonationis vulnere antecedentis, et casum condonationis illud sequentis; in priori, nullam restitutionem faciendam esse dicit; non item in posteriori, quia jus hæredum jam exortum est nec relaxari potest nisi



ipsis consentientibus; unde resolvendum esset ut in propositione 2<sup>a</sup>. Alii autem non ita distinguunt. Multi adhuc, contra quos *Billuart*, excipiunt, tanquam stricte debita, alimenta quæ uxor et liberi accepissent a defuncto, qui tenebatur ex justitia illos alere.

Ex probatione quartæ illius propositionis duo sequuntur: 1<sup>o</sup> ille qui injustum aggressorem ad moderatam sui defensionem occidit, ad nullam tenetur restitutionem, uti supra dictum est; an vero ad restitutionem teneretur, si moraliter justam sui defensionem excederet, non conveniunt inter se theologi; alii enim volunt eum ad perfectam restitutionem teneri, quia eo ipso quod in defensione sua quod moraliter justum est excedat, injuste illum occidit: alii vero ab omni restitutione illum absolvunt; nam, inquit, ad restitutionem non tenetur, si occisus omnia damna libenter patiat, quia scienti et volenti non fit injuria: et in præsentī casu, occisus voluntarie subit damna quæ patitur, cum occisionem sui provocaverit: ergo. Ita *Sylvius*, *Billuart* et plures alii. Alii denique dicunt esse obligationem reparandi damna saltem quoad partem excessui defensionis proportionatam, quia talis excessus revera est injustus. Ergo. *Collet* testatur hanc sententiam esse communissimam apud theologos; sed fatendum est illam sæpius in praxi difficile enuntiari et applicari posse, nisi excessus ille fuerit vere notabilis.

2<sup>o</sup> Non est obligatio restituendi pro morte in duello, hinc et inde libere oblato et acceptato, illata, quia confligentes mutuo sibi condonasse censentur; sic generaliter theologi. Probabilius tamen ea excipienda sunt quæ aliis stricte sunt debita, v. g., creditoribus, uxori, liberis, quia defunctus ea valide condonare non potuit.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE STUPRO.

Stuprum est virginis seu puellæ non vitiatæ extra matrimonium defloratio: in stupro semper aliquod existit damnum naturale, nempe virginitatis amissio.

Eodem modo de hujusmodi damno ratiocinandum est ac de vitæ aut membri privatione.

Præter naturale damnum, sæpe aliquod ex stupro sequitur damnum temporale, scilicet amissio spei matrimonium conveniens ineundi, prolis nutritio, etc.

Stuprum autem fieri potest, vel puella plene et sponte consentiente, vel metu aut vi ad crimen adducta, vel promissione matrimonii illecta. Certum est stupratorem, quomodocumque stuprum fuerit illatum, ad restitutionem propter damnum temporale non teneri, si crimen non fuerit cognitum, quia tunc nullum reipsa existit damnum temporale. Totâ igitur quæstio ad hoc reducitur, utrum videlicet stuprator restituere teneatur, et quantum restituere debeat, si crimen innotescat aut proles nascatur.

Quæ dicturi sumus de stupro intelligendum est de commercio carnali cum quacumque muliere soluta seu non conjugata.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Stuprator ad nihil tenetur erga puellam, ratione stupri, si sponte ipsa consenserit in crimen.*

*Prob.* Scienti enim et volenti non fit injuria: atqui puella, ex hypothesi, sponte consensit: si ergo aliqua ei inferretur injuria, maxime quia valide de jure suo cedere non potuisset: at ratio hæc nulla est; non potuit quidem eo sensu de jure suo cedere quod ipsius defloratio licita esset, sed manifeste eo sensu potuit quod nullam reparationem temporalem exigeret: porro illud sufficit ut ad nihil erga illam teneatur stuprator: ergo. *Ita omnes.*

Diximus *ratione stupri*; ad aliquid enim teneri potest ratione prolis susceptæ, ut postea dicturi sumus. Item si crimen suum manifestaverit; infamiam puellæ et omnia damna inde secuta tunc reparare tenetur, non ratione stupri, sed ratione injustæ detractionis.

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Qui vi, metu aut fraude virginem in stuprum adduxit, omne damnum inde secutum reparare tenetur.*

*Prob.* Illud damnum reparare tenetur quod imputabile